



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

***PII PP. X QUOAD SUPPEDITANDOS SACERDOTES
A MISSIONE AD MUNUS RECTORUM VEL DOCTORUM IN SEMINARIIS ITALIAE****

DILECTO FILIO
ANTONIO FIAT MODERATORI GENERALI
SACERDOTUM A MISSIONE - PARISIOS

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sodalitatem sacerdotum a Missione, cuius summum obtines magisterium, multa Nobis ad benevolentiam commendant. Est enim illi cohaerentium Nobiscum sensuum custodia sollers: eadem vehementer nititur exemplum bonorum operum, vitae praesertim sacerdotalis integritate, et clericis impertire et laicis: tum etiam egregio, a quo nuncupari gaudet, nomini respondens, sacrarum expeditionum incremento fructuique studet, optimis assidue emissis Evangelii praeconibus, cultusque religiosi et humani prolatis beneficiis. Hanc tibi laudem ceterisque e sodalitate universis gratulari libet enixe, quum e studio gloriae divinae, quo vobis animus ardet, nec pauca hauserimus nec ea communia laetitiae argumenta. Ipse vero permultam Nobis ad voluptatem significasti sodales a Missione libenter te Episcopis Italiae suppeditaturum ut in sacris Seminariis aut moderatorum officio aut doctorum munere perfungantur. Gratam tibi voluntatem de praestantissimae utilitatis consilio profitemur, nihilque putamus ambigendum non minora exitura sodalium tuorum in Seminariis excolendis promerita, quam in propositis antea coetui bonis assequendis fuere. Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis testem Apostolicam Benedictionem tibi et sodalitati universae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Maii MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 75-76.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana